

Cap. XV. De comittentibus mallefficiū tractatim.

Statuimus quod quicumque tractatim comiserit aliquod malefītiū in aliquam personam, solvat penam statutorum
5 Tergesti illius malefītiī sic commissi in duplum.

Cap. XVI. De clericorum rixa cum laicis. R.c.a.

Ordinamus quod, si aliquis clericus inceperit rixam aliquam cum aliquo layco, vel percuserit aliquem laycum in platea vel infra confines designatos, et aliquis laycus dabit
10 eidem clerico auxilium verbis vel factis, componat ille laycus unam march. comuni; si vero extra plateam et confines designatos, componat laycus mediam march. comuni. ¶ Et si clericus receperit in sua culpa iniuriam aliquam dicto vel facto a layco, quod clericus nullam inde possit consequi rationem,
15 nec laycus illa // occasione ad penam aliquam teneatur. Salvo 128 A
statuto de homicidio. ¶ Et quod, si quis clericus inventus fuerit de nocte matutinando alicui mulieri civitatis Tergesti, et ille talis clericus iniuriam aliquam receperit in persona ab aliquo layco propinquo vel amico ipsius mulieris, ille laycus
20 offendens ad nullam penam teneatur. ¶ Item si aliquis clericus inveniretur in domo alicuius mulieris in die vel in nocte, aut aliquam mulierem subtraxerit de domo vel eam receperit in domum suam de nocte vel de die, si talis clericus aliquam iniuriam receperit ab aliquo layco vel laycis propinquo vel
25 amico sive propinquis vel amicis illius talis mulieris, quod ille vel illi layci offendentes ad nullam penam alicuius statuti civitatis Tergesti teneatur. ¶ Preterea proibemus quod aliquis clericus non sit ausus ire cum armis ad aliquam rixam vel
rumorem, et si inventus esset cum armis in aliqua rixa vel
30 rumore et dicta arma extraxerit, si eidem clerico fieret aliqua iniuria vel dampnum in persona, quod ille sive illi qui dictam iniuriam sive dampnum fecerit vel fecerint ad nullam penam teneantur.